EMINENTISS.E ET R.ME DOMINE, & Sacra Rituum Congregatio.

AD pedes V. Eminentiæ Fr. Antonius de Lorea Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Doctor, & eiusdem Ordinis super Chronicas designatus, humiliter & deuotus, id parum quod est, Vestræ Eminentissimæ personæ id totum in Domino.

Nouit Ecclesia, Eminentiss. & Reuerendissime Pater, imò & nouerunt, qui extra eam fuere, Sanctum Raymundum de Peñafort ex Ordine Prædicatorum, dum eiusdem Ordinis vitam ageret, Barchinone in Hispania fundasse Ordinem ad Redemptionem Captiuorum primitus reuelatum à Deipara Virgine, sibi, Iacobo primo Inclyto Aragonum Regi, & Sancto Petro Nolasco, quem ipse S. Raymundus, & cuius Ordinis, primum Religiosum fecit, suis ipse manibus habitum induit, & primum Generalem Ordinis instituit, in Cathedrali Barchinonens. Ecclesia Coram Inclyto Iacobo Rege, & Episcopo; cui Petro Nolasco, & suo Ordini dedit Constitutiones tali instituto accomodatissimas, & eiusdem Clericis Breuiarium Ordinis Prædicatorum, & aliquot annis post fundationem, quæ fuit die decima Augusti, anni 1223. obtinuit Confirmationem à Gregorio IX. Pont. Max. litteris datis Perusij xvj. Kalendas Februarij. Pontificatus sui anno viij. Vti ex maior. parte patet ex Bulla Clementis VIII. super Canonizatione B. Raymundi de Peñafort expedita 29. Aprilis 1601.

Primo, secundo & tertio sæculo veneratus est hic ordo suum Patrem, & Patronum Sanctum Raymundum, creuit cum annis multitudo fratrum, & quarto sæculo usque nunc maior illorum pars ex memoria hominum hoc aboleri satagentes reliquerunt Breuiarium Ordinis Prædicatorum, & Constitutiones à Sancto Raymundo datas (ut ex Bulla Canonizationis constat) penitùs consumpserunt monumenta sui Magistri Generalis Fr Natalis Gaver, quibus asserebat, Ordinem suum à Sancto Raymundo fundatum, & ab eodem sancto, suum S. Petrum Nolasco proprijs manibus habitu Ordinis indutum. Inde transie unt ut omnis pictura huiusmodi periret, ita ut nullo modo in Conuentibus huius Ordinis S. Mariæ de Mercede, Icon, vel imago S. Raymundi cum habitu Prædicatorum inueniatur. Et iungentes calamum penicillo, scribunt, in lucem edunt scripta penna, & prælo alij S. Petrum Nolasco recepisse habitum ex manibus Iacobi primi Aragonum Regis: alij, recepisse èmanibus Episcopi Barcinonensis: in Conuentuum suorum picturis effigiant eaque calamo scribunt, ut publicè, & conspectui hominum & ubique, nemine dempto recipiendo habitum ponunt S. Petrum Nolasco èmanibus Episcopi, alibi èmanibus Regis, nullo modo èmanibus S. Raymundi, quem si alicubi depingunt habitu Canonicorum induunt, & alibi neque habitu fratris, nec Canonici, sed penitùs aboliti à pictura contra id quod maiores sui semper confessi, & venerati sunt, tali confusione inter se ipsos, contra venerationem Sedis Apostolicæ, & Clementis VIII. in Bulla Canonizationis S. Raymundi de Peñafort asserentis, quod ipse suis manibus S. Petrum Nolasco habitu Religionis induit: hac negatione ianuam aperiendo hæreticis illudendi omnes Ecclesiasticas historias cum viderint antiquos veritatem affirmantes, modernos negantes, inter se ipsos dissentientes, & totaliter abhorrere, quod caput Ecclesiæ protulit, & ipsi antiquitus venerabantur.

Ecce Eminentissime Pater, exemplum Magistri Fr Bernardi de Vargas, eiusdem Ordinis de Mercede, in Romana Curia Vicarij, & Procuratoris Generalis libro primo Chronicarum, cap. 14. reuelationem Ordinis scribens; ita dicit Beatissimam Virginem Sancto Raymundo affatam eumque Ordinem ipsi commendantem: *Vt tu qui sacerdotali dignitate fulges, & Regis Iacobi, & piorum hominum confessiones audis, quos idoneos, & deuotos inuenisti, & iudicasti, in unam eorum animos dirigas voluntatem, ut Ordo tuus una cum aliorum opera, & industria, quod crastina die apertè cognosces, in hac Ciuitate fundetur.*

Et paulò inferiùs: *Et eius Ordinis dum vixeris specialem curam, & protectionem habebis, & ut fratres Deum super omnia ament, simul & timeant; ut qui in charitatis operibus*

bus sese exercere debeant, instruas, & docebis. Et in eiusdem Ordinis primordijs aliquam viuendi formam officium redemptionis competentem fratribus assignabis. Nam deinde Religiosorum numero crescente quidquid enim circa Ordinem te facere oporteat, Dominus inspirabit.

Et capite 20. eiusdem lib. 1. postquam dixit quod S. Raymundus, Religiosus Ordinis Prædicatorum suis manibus induit habitu S. Petrum Nolasco, sic verbis notatu dignis suis fratribus loquitur: *Sed quid respondendum nonnullis Ordinis nostri fratribus superbia tumidis, qui antequam hæ Summi Pontificis Decretales in lucem prodirent, & publicarentur, hanc veritatem abhorrere, imò eam negare pertinaciter solebant, quasi indignos se reputantes, quod essent filij B. Petri Nolasco, & à tali Magistro Generali descendissent, & originem duxissent, qui de manibus Sancti Raymundi Religionis Dominicanæ habitum susciperet? Sic tu Religio mea Mercenaria, ne sis quæso tuo benefactori ingrata. Quid igitur dedecoris, quæve macula, quod opprobrium, aut ignominia ex hoc tibi accidere, aut euenire poterit?*

Magister Fr. Ferdinandus de Orio, eiusdem Ordinis Supremæ Inquisitionis Qualificator, Definitor Prouinciæ Castellæ, & sui Cœnobij Matritensis commendator suo Cōmentario in librum de Pacientia Tertulliani, Matriti excusso anno 1644. Ad primum capitulum, disc. 1. §. 2. num. 98. ita fatur: *Itaque S. Raymundus primo Magistro Generali nostri Ordinis habitum Religionis suis manibus imposuit.* Et num. 99. 100. 101. idem prosequitur. Et num. 102. concludit sic: *Filij Sanctissimi Patris nostri Raymundi sumus; cui tanquam in hoc opere exercendo maximo actori, Consiliatori, Procuratori, Patrono, & Directori, totum quod sumus, debemus. Huic inseruiamus semper, illi, & suæ sacratissimæ Prædicatorum Religioni humiliemur, & in æternum recognoscamus, &c.*

Reuerendissimus Natalis Gaver eiusdem Ordinis Magister Generalis libro de Initio, & augmento Ordinis, quem anno 1468. scripsit, Idem asserit, sicuti & Reuerendissimi Magistri Generales Fr Franciscus Zumel, tractat. de Initio, ac fundatione Ordinis, & Fr. Gaspar de Torres in libro Constitutionum Salmanticæ excusso.

Authores extra Ordinem, videatur D. Franciscus Peña sacræ Rotæ Auditor libro Romæ typis excusso apud hæredes Nicolai Mutij, super manuscripto ex commissione SS. Clementis VIII. reuisso, & approbato ad Canonizationem S. Raymundi.

Zurita, præclarus Chronista Aragonum Regni, lib. 2. Annalium, cap. 70. Miedes lib. 2. de Gestis Iacobi I. Aragonum Regis, cap. 9. Petrus Antonius Beuter lib. 2. Chronic. Hispan. cap. 4. Arnoldus de Vvion lib. 1. ligni vitæ, cap. 86. Matenesius ad ann. 1218. num. 9. Villegas Flos Sanct. in Extrauagantibus. Ioannes de Pineda, Monarchia Ecclesiast. lib. 2. cap. 35. §. 4. Garibay Hist. Hispan. lib. 12. cap. 51. Emmanuel Rodriguez tom. 1. quæst. Regul. q. 3. art. 3. Azor institut. moral. lib. 3. cap. 11. q. 8. Ioannes Bollandus vita S. Raymundi, in Annotationib. ad Bullam Canonizationis eiusdem, litt. H. Ioannes de Mariana, Chronic. Hispaniæ, lib. 10. cap. 8.

Anno 1675. Iudex Ecclesiasticus Matriti librum meum, quem posteà in lucem edidi sub titulo Dauid Perseguido, 1. part. censuræ commisit Magistri Fr. Ioannis de Rojas, de Conuentu & Ordine sanctæ Mariæ de Mercede, qui in tali censura contra me inuehitur, quia scripsi suum S. Petrum Nolasco habitum recepisse ex manibus S. Raymundi, ut Clemens PP. VIII. Pont. Max. asserit, & scribit contra me Pater Rojas Episcopum Barcinonensem habitum dedisse suo Nolasco. Ecce Eminentissime Pater, ecce obstinationem. Si aures piorum hoc scandalizantur: quomodo hæretici non irridebunt?

Prouocatus librum edidi anno 1678. hoc titulo: *S. Raymundus de Peñafort Ordinis Prædicatorum, fundator Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum*, In cuius fronte apposui imaginem huic adiunctam expressiuam veritatis quoad substantiam, & circunstantias. Et notitiam adepti huius libri in lucem edendi petierunt à Sanctissimo D. N. Innocentio XI. & à Sacra Rituum Congregatione approbari lectiones quas præsentarunt pro officio B. Mariæ de Mercede Dominica proximiori Kalendis Augusti recitando.

Nunc autem ut Sanctissimus Dominus noster, Sedes Apostolica V. Eminentia, & tota Ecclesia clariùs luce videat dolum, & detegatur fraus in hac petitione: iugiterque pandatur deceptio, qua subrepticiè lucrati sunt nouas lectiones pro secundo Nocturno in festo Beatæ Mariæ de Mercede, præcipiat V. Eminentia sibi afferri tomum quartum Bullarij dicti Ordinis Lugduni typis excussum apud Philippum Borde, Laurentium Arnaud, & Claudium Rigaud, & fol. 301. inuenietur Constitutio Pauli Papæ V. §. 1. ubi Sanctissimus Pater concedit lectiones pro secuncto Nocturno eiusdem festiuitatis

Ma-

Magistro Generali nomine suo,& totius Ordinis supplicante, ut sua sanctitas his verbis dicit: *Cum itaque sicut dilecti filij Francisci de Ribera Magister Generalis, & fratres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum nuper exponi fecerunt, quod in solemnitate in Dominica proximiori Kalendis Augusti celebrari solita Officium B. Mariæ iuxta formam Breuiarij Romani, & prout in dicto Breuiario continetur, & recitatur in festo Dedicationis eiusdem B. Mariæ ad Niues ex concessione Sedis Apostolicæ recitant, infrascriptas lectiones in secundo Nocturno Officij huiusmodi recitari summopere desiderent, &c.* Et §.3. assignans sua sanctitas lectiones quas hic ordo recitare summopere desiderabat,& supplicauit sibi concedi,dicit: *Tenor autem lectionum prædictarum sequitur, & est talis, videlicèt ex Decretalibus, quibus Beatus Raymundus de Peñafort à Clemente VIII. Pont. Max. in Cathalogo Sanctorum, adscribitur.* Et post quartam,& quintam lectionem, sic scribit: *Lectio VI. Quare hi collatis inter se Consilijs, & consencientibus animis Ordinem B. Mariæ Redemptionis Captiuorum fundauerunt; cui Beatus Raymundus certas viuendi leges præscripsit ad istius Ordinis vocationem accommodatissimas: quarum approbationem aliquot annis post, à fœlicis recordationis Gregorio IX. impetrauit: & dictum Petrum, qui eidem Ordini omnia suà promptè dederat primum etiam Generalem Magistrum suis ipse manibus habitu eodem induatum creauit. Datum Romæ apud Sanctam Mariam maiorem sub annulo Piscatoris, die undecima Iunij 1616. Pontificatus nostri anno 12.*

Eminentissime Dominè,& sacra Rituum Congregatio,si Ordo B. Mariæ de Mercede proposuit S.D.N. Paulo V. has lectiones desumptas ex Bulla Canonizationis Sancti Raymundi,& ardens desiderium suum ad illas, & instantissime petierunt sibi concedi: quomodo hic Ordo deseruit has lectiones concessas sibi à Sede Apostolica per illud Breue? Quomodo lectiones quas tot annis usque nunc recitarunt, deseruerunt, & spreuerunt? Quare deceperunt Sedem Apostolicam petendo nouas lectiones approbari plenas dolo & contradictionibus,& veritati ex æquo pugnantes? Iubeat V. Eminentia,& sacra Congregatio inuestigare si has recitarunt, vel non? Si recitarunt, qua facultate reliquerunt lectiones ex Bulla Sancti Raymundi ab ipsis petitas; & ab Apostolica sede concessas? Si non recitarunt,quare non, cum exposuerint Sanctitati Pauli V. summopere desiderare has lectiones recitare,& à sua sanctitate concedi? Quod non recitarunt,falsum est,ipsi recitasse confitentur,& oculis nostris vidimus,& auribus nostris audiuimus,& Patres sui annunciauerunt nobis: & si recitarunt quomodo ausi sunt subreptitiè alias nouas lectiones obtinere ab illis distinctas, ab illis inter se differentes,mendacijs refertas: ut ex illis responsum iactantia plenum præbeant, hoc esse verum,quia ab Apostolica Sede reuisum,approbatum,& officio Ecclesiastico concesum?

Vt autem V.Eminentia,& Sacra Congregatio animadvertat technas, & dolos in eisdem lectionibus,ut anguis subherbas, latentia, dicunt Ordinem suum fundatum anno 1218. Et hoc anno approbato à Sede Apostolica habeant S.Raymundum si fundatorem,non Religiosum Ordinis Prædicatorum,sed Canonicũ,proferentibus SS. Clemente VIII. in Bulla Canonizationis,& suis Reuerendissimis Generalibus Gaver, Zumel,Torres,Vargas,& Orio,eiusdem Ordinis de Mercede Magistris,Sanctum Raymundum tunc esse professum Ordinis Prædicatorum.

Fundationem Ordinis B.Mariæ de Mercede factam à S. Raymundo Ordinis Prædicatorum Religioso,anno 1228. constat ex monumẽtis ipsius Ordinis. Primo ex quadam reuelatione facta Sancto Petro Nolasco,vel ut alij asserunt Prophetia, quam habuit,& protulit circa expugnationem Ciuitatis Valentiæ,tunc à Sarracenis occupatæ. Omnes scriptores eiusdem Ordinis dicunt reuelatum hoc suo Nolasco decem annos ante expugnationem Valentiæ factam à Iacobo primo Aragonum. Hanc reuelationem protulit ipse Nolasco fratri Bernardo de Corbera, quem dicunt sui scriptores fuisse primum Religiosum sui Ordinis,quem habitu Ordinis induit S.Petrus Nolasco, eo ipso die quo ipse Nolasco habitum recepit è manibus Sancti Raymundi. Valentia expugnata fuit anno 1238. ut constat ex omnibus Hispaniæ scriptoribus. Ergo si eodem anno quo venit Corbera ad Ordinem,ut ipse fatetur,habuit suus Nolasco reuelationem post decem annos Ciuitatem expugnandam: & Ciuitas Christo reddita est anno 1238. anno 1228. fuit fundatio Ordinis, quia fuit primus annus in quo primus Religiosus Corbera venit ad Ordinem? Hæc scriptura est summæ authoritatis inter ipsos. Si eam negant, ruit machina suorum scriptorum: si eam concedunt probant nostrum intentum: videant quid respondere debent, quia ex omni parte patet contra ipsos veritas.

Hunc annum 1218. turpiter his nouis lectionibus subreptitie obtentis, introductum, ut inde probent S. Raymundum Canonicum fuisse tempore fundationis sui Ordinis opponentes Capiti Ecclesiæ in Bulla Canonizationis eius loquenti, & suis Magistris Generalibus, scriptoribus sui Ordinis, & alienis, totis viribus introducere satagunt, hallucinantes sensus omnium scribentium, instantijs, rogationibus, sollicitudinibus ministrantes eis Chronicas sui Ordinis dolose confictas, falsitate & mendacijs repletas, quasi veridicas, ut prælo datis his scriptis agglomerare queant. Contra congeriem authorũ annum 1218. asserentẽ, sufficit unus pro mille Stephanus de Corbera, libro quẽ edidit de sorore Venerabili Maria Socors, vel Zerbellon, quam sui Ordinis Tertiariam dicunt, ubi ipse palam fatetur rubore suo edere ea quæ male digesta ipsi ministrarunt, repugnante anno 1218. quem contentiose volunt omni successuum veritati, tandemque oppressus reuerentia instantium lauat manus suas coram populo, ne tinctæ videantur mendacij, & turpitudinis sanguine. Addentes prævaricationem fingunt testimonia authentica ex Archiuio Barchinonensi extracta, trucidant scripturas, mutilant, sensum scribentium veritatem retorquent, falsò citantes numerum authorum, qui dicunt pro anno 1218. scribere, uti ausus est facere Magister Fr. Philippus Colombo sui Ordinis Chronista Generalis, libris quos idiomate Hispanico in lucem edidit, uno, vita S. Petri Nolasco: & alio, vita S. Raymundi Nonnat, uno & altero plura mendacia, quàm litteras continentibus, sicuti S. Petrum Nolasco Præsbyterum fuisse, repugnantibus suo officio laicis inserto, suis scriptoribus, antiquis, laicum fuisse asseuerantibus, qui falsò citant, Reuerendissimum Robertum Gaguinum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum vigesimum Ministrum Generalem, qui tale, & tam turpe mendacium nunquam scripsit. Imò, & quod horret animus cogitare, temeraria manu ausi sunt Bullas Apostolicas emendare, addere, & mutilare, & ad suum placitum formare: totum id ut Sanctus Raymundus neque Ordinem suum fundauerit, vel si habitum suo Nolasco dederit, non Religiosus ex Ordine Prædicatorum, sed Canonicus.

Et ut innotescat huius anni 1218. suo placito repugnantia, quæ ex ipsius Ordinis monumentis constat. Dicunt suum Nolascum Valentiæ in Hispania reuelationem habuisse, quòd ad decem annos Ciuitatem expugnandam, cui anno consonat inscriptio antiquissimi lapidis Claustro Conuentus S. Eulaliæ Barcinonensis sui Ordinis se habentis

Anno D. M. CCXIIX. conditus
Ordus R. . . . . . te Rege Iacobo.

Constat apud Hispanos ex varijs monumentis ultimam X hac forma valorem habere quadraginta annorum, & demptis duodecim, videtur Ordinem fundatum fuisse anno 1228. Insistunt tenaciter ultimum X eiusdem valoris esse cum primo, ut dicant 1218. anno fundatum esse, ut hac æquiuocatione dicant isto anno S. Raymundum fuisse Canonicum non Religiosum. Hæc inscriptio præsentata est à Patribus Sanctissimæ Trinitatis Matriti in Supremo Aragoniæ Parlamento, de consensu Patrum Ordinis Mercenarij in processu litis pendentis inter ipsos circa Captiuorum Redemptionem.

Ex eodem processu constat S. Petrum Nolasco sæcularem fuisse anno 1222. subscriptione sui nominis, & cognominis *Pere a Nolasco*, in Epistola ad Regem Sarracenorum Insulæ Maioricæ legatione ad ipsum facta ex parte Ciuitatis Barchinonensis, quã Epistolam ipse subscripsit ut sæcularis, inter alios sæculares. Hoc anno 1222. factum est: ergo Sanctus Nolasco erat iam Religiosus anno 1218? Hæc omnia isti Patres deglutiunt ut saliuam, ut anno prætenso dicatur Ordinem suum fundatum.

Deinde ut liquet ex insigni Chronista Aragoniæ, Hieronymo Zurita, & ex omnibus Scriptoribus illius sæculi, Iacobus primus Rex Aragonum natus est vigilia Purificationis B. Mariæ Virginis, anno 1207. Anno 218. impleuit undecim annos. Quis excogitauerit quod puero undecim annorum apparuerit B. Virgo super tam graui negotio ut est fundatio unius noui Ordinis? Quod potuerit esse, non negamus: adhuc puero Samueli locutus est Dominus in Templo & vocauit eum; sed Iacobum Aragoniæ primum non fuisse Samuelem, omnibus patet. Potius, ut ex ipso Zurita liquet in Annalibus Aragoniæ, lib. 2. cap. 63. & 66. Iacobus Rex Aragoniæ anno 1218. præsens aderat Comitijs Regalibus celebratis Ciuitate Illerdæ Aragonensibus, nulloque modo Barchinonem intrauit usque ad annum 1219. Et sui ingressus die concessit Ciuitati priuilegium immunitatis, declarans in ipso, concedere, primo die quo Ciuitatem intrabat si Iacobus aberat à Ciuitate Barchinonensi, & usque ad annum 1219. nunquam in Barchi-

no-

nonensem Ciuitatem intrauerat, nunc videri poterit si Iacobus primus, ut Patres Mercenarij volunt, potuerit esse Barchinonæ anno 1218. Absentem fingunt præsentem, & puerum faciunt iuuenem, & reuelationum capacem, & undecim annorum volunt apparuisse B.Virginem: Cum in vigilia Purificationis Beatæ Virginis, anno 1228. ipse impleuit viginti unum annos, & adhuc in ipsa ætate iam iuuenis dicit Clemens VIII. in Bulla Canonizationis B.Raymundi, *quod Iacobus satis iuuenis esset*. Nolunt intelligere quando est pueritia in homine, quando iuuentus. Anno 1218. erat puer Iacobus Aragonum primus, quia erat undecim annorum: anno 1228. erat iuuenis, & tandem *satis iuuenis* vissus est Clementi VIII. ut Virgo Deipara ei appareret, & de fundatione Ordinis instrueret.

Monf. Franciscus Peña sacræ Rotæ Auditor, libro supra relato dicit Sanctum Raymundum Ordinem Prædicatorum professum fuisse anno 1222. Quomodo Religiosus erat anno 1218. ut Mercenarij contentiosè volunt? Ecce iam terque quaterque à Sanctissimis Pontificibus, & à Sede Apostolica prolatum Sanctum Raymundum, etiam Religiosum Ordinis Prædicatorum Ordinem prædictum fundasse, & solum ipsum suis manibus Sancto Nolasco habitum Religionis induisse. Primò à Clemente VIII. in Bulla Canonizationis eiusdem. Secundò à Paulo V. in Breui, quo concedit ad instantiam Generalis Mercenarij, & fratrum suorum Officium de Beata Maria de Mercede. Tertiò in Officio quod Ordo Prædicatorum recitat in festo eiusdem Sancti Raymundi, & quartò in Martyrologio ad diem festi huiusmodi. Et tandem irrident Patres Mercenarij, & conficta sua, deliramenta, & mendacia, pro veritate haberi contendunt.

Sanctissimus Clemens VIII. in Bulla Canonizationis eiusdem, postquam eum Religiosum dicit, dicit fundasse hunc Ordinem, & manibus suis ipsummet habitum induisse Nolasco. Si Ecclesia ita Venerabiles aspicit Bullas Pontificias, ideò est, quia scit Summum Pontificem loqui post longum, & profundissimum rerum examen, post maturam & inuestigatissimam discussionem, adaptando verba ad rerum, & successuum tempora, aliàs ea quæ ut oracula venerantur, essent seminaria litium, & fomites iurgium. Dicemus ne, quod informandis processibus inuersus est Ordo rerum successuum & temporum? Dicemus Papam inuertisse Ordinem actionum S.Raymundi, & referre actiones S.Raymundi Religiosi, tempore quo erat Canonicus; & actiones Canonici inuertisse tempore Religiosi? Absit. Si ergo confiteri debemus Sanctissimum Pontificem loqui secundum veritatem temporum & rerum, & postquam dicit Raymundum Religiosum esse Prædicatorum, dicit fundasse Ordinem de Mercede, & habitum induisse proprijs manibus filio suo Nolasco; Temerarium est dicere Patres Mercenarios eum fuisse, tunc Canonicum. Ergo magis quam temerarium est publicè pingere, & scribere recipiendo habitum ex manibus Regis: & ut alij pingunt & scribunt, ex manibus Episcopi.

Quid ergo dicemus si hæc temeritas transit ad Bullas Apostolicas, quod Catholicus animus horret? Videatur Pater Salmeron, quondam sui Ordinis Generalis libro suo, *Recuerdos Historicos, y Politicos, Hispanicè scripto, & Valentiæ edito apud Bernardum de Noguès, apud Molendinum de Rouella anno* 1646. qui cum Clemens VIII. dicit de S.Raymundo in Bulla Canonizationis: *Primùm etiam Generalem Ordinis Magistrum suis ipse manibus habitu eodem indutum creauit:* ipse manu temeraria scripsit vitiando textum: *Primùm etiam Generalem Ordinis Magistrum ipse simul cum Rege, & Episcopo habitu eodem indutum creauit.* Hoc, ut tollant Sancto Raymundo gloriam fundatoris sui Ordinis, & non dicitur quod ipse solus habitum inducit suo Nolasco. Papa dicit: *Quod Sanctus Raymundus ipse suis manibus*, & Pater Salmeron dicit, quod *Rex Episcopus, & Sanctus Raymundus; tres pariter Nolascum induerunt*. Et hæc est reuerentia erga Sedem Apostolicam? Quid ultrà Ethnicus facere poterat, & scribere?

Magistor Fr. Alphonsus Remon, in Historia Ordinis sui de Mercede, 1. part. lib. 1. cap. 8. fol. 24. loquens de Bulla Confirmationis sui Ordinis, quam impetrauit S. Raymundus à Papa Gregorio IX. sub data Perusij 15. Kalend. Aprilis. Pontificatus sui anno octauo, contendit contra omnes Scriptores, mendum adesse in data, & Cardinalem Datarium errasse: & ubi dicit *anno octauo*, debebuisse dicere *anno tertio*. Alij, in ipsa Bulla ubi Papa dicit: *Sancti Augustini possitis Ordinem profiteri*, ausi sunt emendare & scribere: *Possitis Regulam profiteri*. Scandala virorum prudentium, quæ in Hispania oriuntur ex his audacijs, clarè liquent apud D.Ioannem Tamayo & Salazar suo Martyrologio Hispanico, ad diem 31. Ianuarij in festo S.Petri Nolasco, ubi propter insolentiam acriter

Mer-

Mercenarios reprehendit, ut videre est apud ipsum, loco citato.

Videntes ipsi librum meum S.Raymundi non potuisse impedire ante quam in lucem prodiret: dolosè petierunt has nouas lectiones, satagentes cum Rege Hispaniarum Catholico Carolo II. ut per Oratorem suum à Sanctissimo Innocentio XI. harum lectionum approbationem impetraret. Et annuente sanctissimo die decimaoctaua Ianuarij 1680. per sacram Rituum Congregationem decretum approbationis talium lectionum expediri iussit prout expeditum esse videtur.

Lectione quinta, quæ est secunda secundi Nocturni dicitur: *Ea ipsa nocte eadem Virgo Sanctissima Beato Raymundo de Peñafort, & Iacobo Aragoniæ Regi apparuit.* Cautelosè non exprimunt Raymundum tunc ex Prædicatorum familia esse: ut possint respondere; Papa non exprimit in hoc nouissimo Officio, nouissimè concesso, fuisse Religiosum: ergo meliùs Sedes Apostolica inspexit tempora & successus, & nunc non dicit Religiosum, licèt Clemens VIII. in Bulla suæ Canonizationis cum ita Religiosum esse tunc innuat.

Lectione sexta, quæ est tertia eiusdem Nocturni, dicunt: *Die igitur decima Augusti anno Domini millesimo ducentesimo decimo octauo, &c.* Ecce falsitatem, ecce quod auidè concupierunt, iam ut ipse se iactant, Canonizatum à Sede Apostolica. Iam clarè patet ut sanctissimus loquitur, Ordinem suum fundatum anno 1218. hoc anno non erat Religiosus S.Raymundus: ergo non Religiosus, sed Canonicus, tunc temporis erat? Ecce quod Patres Mercenarij faciunt, introducendo talia mendacia, ut videatur Sedem Apostolicam sibi ipsi contradicere: ut Hæretici irrideant quod ab ipsa emanat, & in re tam graui ut est Officium Diuinum: & consequenter illudant omnes Diuini Officij Ecclesiasticas historias.

Addunt eadem lectione: *Sodalibus quarto voto adstrictis manendi in pignus sub paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit.* Mendatium est. Nunquam tale quartum votum sæculis prioribus fecerunt: neque constat ex authore fidedigno talè quartum votum. His mendacijs decipiunt Sedem Apostolicam, & obtinuerunt his mendacijs nouas lectiones relictis antiquis, ab ipsis summo desiderio postulastis, & à Paulo V.Pont.Max.concessis, falsè in ipsis introducentes annum 1218. ut sic veritas antiqua obliterata maneat, & sepulta. Neque hoc absque vitio, corruptela, & falsitate. Quia ubi Sanctissimus Dominus noster, & Sacra Rituum Congregatio: Dixit, *In Commemoratione B.Mariæ de Mercede*, illi ausi sunt imprimere: *In Descensione.* Et ubi dicitur. *Duplex*, illi apposuerunt: *Duplex primæ classis.*

Gloriatur, & meritò, Alma Ecclesia Toletana Hispaniarum Primas gloriosam Virginem Mariam e Cœlo Empireo corporaliter ad ipsam descendisse Sanctum Ildephonsum Archipræsulem suum sacris vestibus ad sacrum celebrandum induturam, & animaduersa nouitate *Descensionis*, in lectionibus nouis Patrum de Mercede, Illustrissimus Decanus & Capitulum conquesti sunt ad Illustrissimum Dominum D. Antonium de Benauides & Bazan Indiarum Patriarcham, Præsidem Parlamenti Sanctæ Cruciatæ in Regia Curia, ad quem attinet ex concessione Apostolica recognoscere, & videre quidquid de nouo additur Breuiario, & Officio Diuino apud Ecclesiam Hispaniarum. Et postquam idem Patriarcha iussit idem Patribus Mercenarijs, ut sibi afferrent originale rescriptum concessionis nouarum lectionum, & collatum cum Codicibus impræssis, & euulgatis, inuenit, cum eorum rubore, mendum, & falsificationem, volentium introducere aliam Descensionem Beatæ Virginis, & augendo maiorem cultum in hac sua festiuitate, quam Sedes Apostolica concesserat. Et per publicum edictum iussit sub pœna excommunicationis maioris, ut nullus tali officio uteretur, sed omnes Codices dispersi tradderentur Ministris Sanctæ Cruciatæ intrà octo dies ad comburendos igne. Quod edictum manu, & sigillo suis roboratum publicatum, & affixum fuit Matriti ad valuas omnium Parrochialium, Conuentuum, Monasteriorum, Palatij Regij, Palatij Eminentissimi Domini Nuntij Apostolici, & sub eadem censura inhibuit ut à nemine tolleretur. Videas Eminentissime Pater, quid effutient Hæretici hoc videntes. Videat V.Eminentia, & ipsa Sacra Congregatio nouas lectiones subreptitiæ obtentas, & nouitates Patrum de Mercede. Hispaniæ sparserunt voces, librum meum prohibitum esse Romæ. Romæ dicunt librum meum Sancti Raymundi prohibitum esse in Hispania, quod falsum est, ubique: & ita esset, si solicitudinibus suis effectus responderet. Et Dominus qui dixit ego sum via veritas & vita, dedit & dabit viam, & vitam veritati.

Nunc ergo Eminentissime Domine, & Sacra Congregatio, ne zizania crescat intrá

mes-

messem Domini Apostolica authoritate, qua polles eradicetur. Iubeas Eminentissime Pater has nouas lectiones subreptitiæ obtentas, & contra veritatem Ecclesiasticam pugnantes omninò prohiberi, & recitari antiquas concessas à SS.D.N.Paulo V. & instanter, & desiderio summo petitas à suo Magistro Generali. Nouum, inauditumque non est, Officium istis Patribus Mercenarijs à Sacra Rituum Congregatione concessum, ab eadem Sacra Rituum Congregatione fuisse immutatum, reformatumque. En clarissimum exemplum. Officium pro Sancto Petro Nolasco, à se reuisum, & recognitum, eadem Sacra Rituum Congregatio eisdem Patribus Mercenarijs, die 25. Decembris, anno 1663. concessit. Verùm enim verò, quia in tale Officium ijdem Patres Mercenarij aliqua introduxère mendacia: idcircò, his sublatis, & correctis, idemmet Officium, eisdem Mercenarijs anteà concessum, eadem Sacra Rituum Congrega[illegible], anno sequenti 1664, die 12. Iulij, nouo suo decreto reformauit, immutauitque. Nun[illegible] præsenti dicitur quod *Sanctus Nolasco Ordinem instituit*. Nolasco fuit institutus, & creatus Religiosus. Institutor Ordinis fuit S.Raymundus, qui manibus suis ipse habitum Nolasco induit, qui dedit leges, & Constitutiones desumptas ex nostris, & suo ministerio, ac commodatissimas, & obtinuit confirmationem Ordinis à Gregorio IX. ut Clemens Papa VIII. profert Bulla Canonizationis S.Raymundi. Iube Eminentissime Pater istos fratres celebrare S.Raymundum, ut suum Patrem, & Patronum, Officium de eo recitare sicuti Ordo Prædicatorum recitat sumptis lectionibus ex Bulla Canonizationis eiusdem, sicuti anteà recitabant: & celebrare cum octaua, sicut de suo sancto fundatore, Patrono, & institutore: & semper quod fiat Officium de S.Petro Nolasco, & in festo B.Mariæ de Mercede, fiat commemoratio S.Raymundi de Peñafort Patris, & Fundatoris, & institutoris sui, sicut Magister Vargas, & Orio, locis supra citatis vociferantes confitentur. Declaret vestra Eminentia prohibitas, picturas, iubeat aboleri Icònes, in quibus S.Raymundus adest ut Canonicus, vel non fuerit ipse solus suis manibus induens habitum S.Petro Nolasco; præcipiendo picturas nouiter introductas in quibus Rex, vel Episcopus dant habitum Nolasco, deleri ut scandalosas, temerarias, & claré contra Decretales Clementis VIII. in Bulla Canonizationis B. Raymundi pugnantes. Iubeat V. Eminentia omnes historias sui Ordinis deleri quatenus non dicunt suum Nolascum recepisse habitum ex manibus S.Raymundi, & quod ipse solus induerit suis manibus, tunc iam Ordinis Prædic[illegible] professi. Hanc petitionem annis præteritis feci Matriti apud supræmum Hispaniæ Inquisitionis Tribunal. Vsque huc nihil super eo prouissum est: ideò ad audientiam vestri Eminentissime Pater, accurro & Sacræ Congregationis: accessurus usque ad sanctissimi pedes: ut Vicarius Christi, & Pastor gregis, non sinat Mercenarios obnubilare gloriam Sancti Patris sui Raymundi, sed moderni venerantes Sedem Apostolicam, veritatem confiteantur, sicut antiqui sui venerati & confessi sunt; & prouideat de remedio Apostolico: ne pestis ab ipsis introducta, scriptis, & picturis serpat inter Catholicos, cum Ecclesiæ damno, & inimicorum eius gaudio, & risu. Dominus noster, qui lux est creaturarum, lucem veritatis per te Eminentissime & Reuerendissime Pater Ecclesiæ suæ mittere dignetur, quem humiliter exoro ut ad fulcimentum, & decorem suæ Ecclesiæ te saluum semper custodire dignetur. Datum Granatæ in Conuentu Prædicatorum S.Crucis Regalis, die 12. Martij anni 1683.

Eminentissime & Reuerendissime Domine,
& Sacra Rituum Congregatio.

Ad pedes vestros humiliter deuotus.

Fr. Antonius de Lorea,
Ord. Prædicatorum.

Sanct